

nunc sedentes et adulterinis quorundam pestilentium regentium et antepositorum in facto guerre vigentis seductionibus et mendosis fictionibus obfuscatos, veritatis detegendo rectitudinem, piis affatibus alloquamus, ne presides ipsi, veneno detractionis infecti et ambitionis cupidine turpiter executi, assumpto mendacii spiritu falsis eorum persuasionibus vos in profundum malorum precipites secum trahant; huius profecto rectores et antepositi, quos gloria vexat inanis, sic elati sunt in superbia, ut luciferini cum principibus sedere cupiant et in solo presidere glorie dominantis, nullam libertatem querentes nullaque ad concives suos vel quosvis alios caritatem habentes vel amiciciam, quicquid fingant, ad eos coei facti cupiditatis ingluvie, ut videntes non videant nec intelligant audientes. Sed utinam saperent et novissima previderent ac pariter providerent. Quid autem demeruerat apud ipsos Romana ecclesia, fidelium omnium pia mater et magistra, in cuius gremio commune Florencie prerogativa speciali quiescebat, et que ipsum commune, ut de retropreteritis taceamus, proximis eciam temporibus coaluit et defendit veluti pullos suos gallina sub aliis, et a servitute tirannica, cui propinquum erat, pluries ut est notorum preservavit. Ipsi vero rectores et antepositi, prosperitatis ipsius invidi, nulla occasione vel culpa eiusdem ecclesie nullaque diffidatione precedentibus, quinimo colligatione durante priobusque nobis scribentibus, cuiusmodi scripturas studiose servamus, quod ecclesiam in nullo offendenter nisi ipsa primitus inchoaret, repentina iactu atrociter debacchantes et insanientes, in ipsum omnes eius terras ad rebellionis seviciem clandestinis mendaciorum flatibus perfidisque suggestionibus concitarunt, ipsamque insontem, suo inepti furore ac morbo ingratitudinis fedissime laborantes, alias inauditis affecerunt et obstinatione dampnabili affligere non desistunt iacturis, gravibus iniuriis et offensis. O ceca ambicio, que nec Deum timet nec homines reveretur. O quam funesta rabies, que tantarum cedrum, incendiorum, deflationum, stuprorum et aliorum innumerorum et horrendorum facinorum non metuerit causam et inicium propinare. O quam barbarica ferocitas omni beluina crudelior, que manus sacrilegas in christos domini, quibus olim pharaoica impietas adhuc de proprio alimento prehebat, extendere, bona eorum mobilia distrahere et, quod alias per quoscunque quantumcumque nefandos persecutores ecclesie nunquam factum fuisse narratur, immobilia alienare et Dei prophanare sanctuarium non expavit. Vos autem convenimus, o popule, qui tanquam pasillus grex ad excidium temporale et eternum supplicium ducimini per predictos. Quid vobis profuit aut prodesse vel quem fructum proferre potest miserabilis ista vestrorum collisio vicinorum, qua divisis ac frementibus in se communitatibus et universitatibus quamplurimis, ac patre in filium, fratre in fratrem, civi in civem, et contra sevientibus, tot mortes, depopulationes agrorum et infinita scandala continue perfidorum ipsorum preedium vestrorum ministerio perpetrantur, et tota Italia periclitacioni subjicitur ac ruine, qua eciam efficiunt plebis ablectio et omni obprobrium nationi, pro qua quidem concussione favenda vestra corroditur substancia, et figurantis fallacibus adinventionibusque dolosis per prefatos detinemini, abutruisse veritatis lumine vinculati. Afferunt enim ut accepimus, licet falitate